

# THE BLESSING OF HOLY WATER ACCORDING TO THE USUS ANTÍQUIOR

*On Sundays, or whenever it is needed, salt and clean water are prepared to be blessed in the church or in the sacristy. The priest, vested in cassock, surplice, and purple stole, says:*

*Ÿ.* ✠ Adjutórium nostrum in nómine Dómini. *℞.* Qui fecit cælum et terram.

*The exorcism of the salt follows. (hands joined)*

*[If there is already exorcised salt on hand, the following two prayers may be omitted, and the ritual may begin with the exorcism of the water.]*

Exorcízo te, creatúra salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliséum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ: ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium; et sis ómnibus suméntibus te sánitas ánimæ et córporis; et effúgiat, atque discédat a loco, in quo aspérsus fúeris, omnis phantásia, et nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis, omnisque spiritus immúndus, adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. *℞.* Amen.

*Orémus. (hands extended – orans)*

Imménsam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus, ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuísti, bene✠dicere et sancti✠ficáre tua pietáte dignéris: ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; et quidquid ex eo tactum vel respérsus fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatione spiritalis nequítiae. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *℞.* Amen.

*The exorcism of the water follows: (hands joined)*

Exorcízo te, creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi, Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti: ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum eradicáre et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi: qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. *℞.* Amen.

*Orémus. (hands extended – orans)*

Deus, qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacramenta in aquárum substántia condidísti: adésto propítius invocatióibus nostris, et eleménto huic multímodis purificatióibus præparáto, virtútem tuæ bene✠dictionis infúnde; ut creatúra tua, mystériis tuis sérviens, ad abigéndo dæmones, morbósque pelléndo, divínæ grátiae sumat efféctum; ut quidquid in dómibus, vel in locis fidélium, hæc unda respérsit, cáreat omni immundítia, liberétur a noxa: non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens: discédant omnes insídiæ laténtis inimíci; et si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet, aut quiéti, aspersione hujus aquæ effúgiat: ut salúbritas per invocatióem sancti tui nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnationibus defénsa. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *℞.* Amen.

*Now salt is placed in the water three times in the form of a cross, while saying the following:*

Commíxtio salis et aquæ páriter fiat, in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti. *℞.* Amen.

*Ÿ.* Dóminus vobíscum.

*℞.* Et cum spírítu tuo.

*Orémus. (hands extended – orans)*

Deus, invíctæ virtútis auctor, et insuperábilis impérii Rex, ac semper magníficus triumphátor: qui advérsæ dominatiónis vires réprimis: qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas: qui hostíles nequítias poténter expúgnas: te, Dómine, treméntes et súpplices deprecámur, ac pétimus: ut hanc creatúram salis et aquæ dignánte aspicias, benígnus illústres, pietátis tuæ rore sanctífices; ut, ubicúmque fúerit aspérsa, per invocatióem sancti nóminis tui, omnis infestatio immúndi spíritus abigátur: terrórque venenósi serpéntis procul pellátur: et præsentia Sancti Spíritus nobis, misericórdiam tuam poscéntibus, ubíque adesse dignétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *℞.* Amen. ✠